

















1611.

1. Barterus, Johannes: De institutione et exheredatione  
liberorum, et de aliis hereditas instituentis.
2. Barterus, Johannes: De testamentis et codicillis.
3. Barterus, Johannes: De successione ab intestato.
4. Cravius, Henricus Audeus: Conclusiones, et difficilissima  
attestationum materia, aliquot usum frequentissimas
5. Cravius, Henricus Audeus: De conventionibus

1612

1. Barterus, Johannes: De locatione, conductu et emphy-  
teusi.
2. Barterus, Johannes: De processu judiciali . . . . .
3. Barterus, Johannes: De societate.
4. Meibomius, Henricus: De quodam antiquo et  
antiquato Caesarum Germanicorum jure ex decedentibus  
majorum praetorum relicto possessionibus.



1612

5. Antonius, Henricus: De jure investiturae episcopalis, imperatoribus Romanis a pontificibus per vim et tyrannidem advento

1613.

1. Barterus, Johannes: De contractu depositi.

2. Barterus, Johannes: De commodato.

3. Barterus, Johannes: De nuntio.

4. Barterus, Johannes: De mandato.

5. Langius, Theodorus: De dominio, ejusque adquirendi modis naturalibus.

6. Mullerus, Johannes: De utilissima simul ac frequentissima testamentorum materia

7<sup>a</sup> Speckhan, Sberhardus: De jure imperii Germanici

S. S. Caesareae majestati Electoribus principibusque

viris singulari, et hoc maxime saeculo controverso

2 Venti. 1660. 1669.



1614

1. Berterus, Johannes: Quid sit feudum et quam varie  
dividatur?
2. Berterus, Johannes: De jurisdictione.  
Cranius, Henricus Andreas:
3. Problemata camerata sive controversae et  
summi imperii tribunalis opiniones, et Dr. Andreas  
Gallii observationes Cameratae accommodatae.  
Op. I.
4. Cranius, Henricus Andreas: Problemata camerata sive  
controversae quaestiones ad Dr. Andreas Gallii observa-  
tiones accommodatae.
5. Cranius, Henricus Andreas: De jurisdictione et foro  
competenti.
6. Cranius, Henr. And: Selectiores usq. frequentes  
aliquot controversiae ad l. fin. l. de pact. et c. quam-  
vis l. et. in l. accommodatae



7. Weingk, Theodorus: De emptione et venditione

1615

1. Barterus, Johannes: De transactionibus.

2. Caninius, Henricus Aureus: Positiones inaugurales  
ex jure J. Romani imperii publico et privatis  
in pragmatice Imperii constitutionibus, et sacrae  
Camerae Imperialis ordinatione, consistente.



2259.6  
4077. 1  
*Quod sancta firmet Trinitas.*

DISPUTATIO 1611, 1

De *M.*

**INSTITVTIONE  
ET EXHEREDATIONE  
LIBERORVM, ET DE ALIIS  
heredibus instituendis,**

*Quam*

PRAESIDE

*Clariss. & consultiss. viro,*

**DN. IOHANNE BARTERO, I. V. D.  
& in illustri IVLIA Professore iuris  
ordinario,**

*Publico examini*

*In auditorio maiori discutiendam proponit  
die 16. Martij.*

**CHRISTOPHORVS CRYSIVS.**



HELMAESTADI,

Ex Typographeio Iacobi LucI,

Anno cIo. Io. cXI.

41





*NOBILISSIMO, AMPLISSIMO  
ET STRENO VIRO,  
DNO. ERNESTO von Keden/  
Satrapæ in Liebenaw/ Schlüsselburg/ıc.*

*Domino suo fautori & promotori omni  
obseruantia studio colendo.*

*NEC NON  
AMPLISSIMIS, CONSVLTISSIMIS  
ET CLARISSIMIS VIRIS,  
DNO. IOACHIMO von Anderten/ I. V.  
Doctori, & Capituli Cathedralis Mindensis  
Syndico dignissimo,  
DNO. ANDREAE Sisenissen/ I. V. Licen-  
tiato, & reip. Halberstadensis consuli prudentis.  
DNO. FRANCISCO Limburg/ aulae Guel-  
phicæ Secretario primario.*

*Dominis fautorib. affinibus & cognatis  
suis multis nominibus obseruandis, hanc  
disputationem inscribit & submisit  
offerre*

*Christophorus Crusius.*





DISPUTATIO  
DE INSTITVTIONE ET EXHERE-  
DATIONE LIBERORVM, ET DE  
alijs heredibus instituendis.

Resp. CHRISTOPHORO CRYSIO.

THESIS I.

**I**nter cætera, quæ ad ordinanda testamenta neces-  
sariò requiruntur, principale ius est de liberis he-  
redibus instituendis vel exheredandis, & ideo post  
superiores testamentorum solennitates hac de re  
nunc rectè sequitur.

*l. inter cætera. 30. ff. de lib. & postum.*

2. Pater igitur filium, quem in potestate habet, nomina-  
tim heredem instituere aut exheredare debet, filiam autem  
& reliquos liberos exheredare inter cæteros permissum fuit.

*l. si quis legatum. 6. §. si institutus, ff. ad L. Corn. de fals. Cuiac. in obs.  
lib. 8. cap. 18.*

3. Nominatim exheredari videtur, cuius nomen, præno-  
men vel cognomen testator expressit, ita tamen vt si in testa-  
mento scriptum fuerit, Filius meus exheres esto, nec nomen  
adiectum sit, & vnicus tantum filius extet, exheredatus vi-  
deatur, sin autem plures filij sint, benigna interpretatione nul-  
lam exheredationem esse placeat.

*Inst. de exhered. lib. in fine princ. l. 1. & 2. ff. de lib. & post.*

4. Quod si testator heredem instituat, ac filium habens  
postea subijciat: cæteri omnes filij filiaeq; meæ exheredes sun-  
to, rectè exheredatum filium quoq; videri Paulus respondit.

A 2

*l. Titius.*



*l. Titius. 25. in princ. ff. de lib. & post.*

5. Præterea ut exheredatio locum habeat, filius purè & non sub conditione exheredari debet, quia certo, & non suspensio iudicio liberi à parentum successione remouendi sunt.

*l. 3. §. 1. ff. de lib. & post. & l. sed sub conditione. 18. in fine princ. ff. de bon. poss. cont. tab.*

6. Sic quoq; filius exheredari debet ab omnibus gradibus, vel vno gradu, non à persona certa.

*d. l. 3. §. filius. & l. si primo. 8. ff. de lib. & post. l. non putauit. 8. §. si ab vno. ff. de bon. poss. cont. tab.*

7. Et gradum accipimus in testamento, non pro loco, ut Accursius voluit, sed pro ordine successionis, quæ vel ad institutionem in primo gradu, vel ad substitutionem in secundo refertur.

*l. quo loco. 20. in princ. & l. qui soluendo. 42. ff. de hered. inst.*

8. Adhuc exheredari filius debet à tota hereditate, non à parte vel re certa, propterea quod institutionis ius pro parte adimi nequit, cum in vniuersitate bonorum consistat.

*l. cum quidam. 19. ff. de lib. & post. & l. nihil. 24. ff. de V. S. l. hereditas. 62. ff. de R. I.*

9. Hoc amplius exheredatio in tempus post aditam hereditatem conferri non potest, quia eo tempore, quo heres scriptus adire debet, filius exheredatus non est.

*d. l. 3. §. filius. vers. quemadmodum. ff. de lib. & post. & l. si quis Sempronium. 68. in fin. ff. de hered. instituendis.*

10. Deniq; exheredatio ita fieri nequit, ut filius post mortem suam demum exheredatus videatur.

*l. si ita scriptum sit. 13. §. vlt. & l. Gallus. 29. §. in omnibus. ff. de lib. & post.*

11. His addendum est, exheredationem cum elogio adiecto, eoq; probato fieri debere, quod certam exheredationis causam vocamus.

*l. si post. 14. §. vlt. ff. de lib. & post.*

12. Vnde



12. Vnde clare constat sufficientem non esse exheredationis causam: Quia filius exheredari voluit.

*argumento. Nouell. 115.*

13. Etenim hodierno & nouissimo iure ita obtinet, vt parentes tantum ex causis quatuordecim, certo iure expressis, liberos suos exheredare possint: Et rursus liberi parentes suos tantum ex causis octo ab hereditate rectè excludant, quæ vel singulæ, vel omnes ab herede scripto probari sufficienter debent.

*Nouell. 115. vt cum de appell. cognosc. cap. 3. aliud quoq. & cap. 4. Iustum autem cum versic. si tales igitur. Authen. in testamento. C. ad SCtum Tertull.*

14. Quod si autem pater semel filio, qui exheredari potuit, remiserit iniuriam: Vtrum adhuc propter causam eandem, semel remissam, exheredari possit, quæstionis est?

*Negamus argum. l. 3. §. fin. cum l. sequenti. ff. de adimend. & transf. legat.*

15. Hoc tamen fieri posse putamus, vt pater videns filium suum esse impuberem & prodigum, adeò vt suspicio subsit, quod hereditatem facilè consumpturus sit, instituat heredem extraneum, & fidei eius committat vt filio alimenta præbeat.

*l. 15. ff. de ann. legat.*

16. Sic etiam iure nouo fratrem à fratre ex causis tribus posse exheredari receptum est.

*Nouell. 22. de nupt. cap. 46. hinc nos. vers. vlt. cum sequent. cap. in princ.*

17. Postumus institui heres debet imprimis, qui si natus iam esset testamenti faciendi tempore suus esset futurus, nec tantum mortuo auo instituitur postumus, vt Gallus Aquilius voluit, verum etiam ex lege Iulia Vellea auo viuo, de postumo nepote cauetur ne mortuo patre, nondum emancipato, rumpi testamentum agnatione sui heredis possit.

*§. postumorum. Inst. de exhered. lib. 1. 3. §. vlt. & l. postumorum loco. 13.*

A 3

ff. de



*ff. de iniust. rupto. l. Gallus. 29. in princ. cum §. sequenti & §. nunc de lege Vellea. ubi Cuiac. ff. de lib. & post.*

18. Illud ex iure nouissimo constat exheredationem in postumum cadere non posse, propterea quod nondum nato etiam nulla causa exheredationis adscribi possit.

*d. Nouell. 115. c. 3. & 4.*

19. Emancipati hodiè æquali iure cum suis, itemq; filia cum cæteris liberis, per virilem sexum descendentes, vel heredes instituendi, vel nominatim & cum causa adiecta exheredandi sunt.

*§. sed hæc quidam vetustas. Inst. de exhered. lib. l. maximum vicium. 4. C. de lib. præterit.*

20. Vnde si pater filium emancipatum exheredauerit, deinde adoptauerit, testamentum inde non rumpetur, neq; ei nocebit exheredatio.

*argum. l. 8. §. si quis. ff. de bon. poss.*

21. Sin verò extraneum exheredauerit, eumq; postea adoptauerit, secus erit, & testamentum per arrogationem, siue nouam filiationem non aliter ac si postumus adnasceretur, viciabitur.

*Duaren. c. 3. ff. de lib. & post.*

22. Adoptati ab ijs, in quibus sanguinis ratio concurrat, idem ius cum legitimis habent, quemadmodum legitimatos quoque hac in parte naturalibus & iustis exæquatos esse rectè dicitur.

*§. adoptiui. & d. §. sed hæc quidem vetustas. in fin. Inst. de exhered. lib. §. sed ea omnia. Inst. de hered. qua ab intest. def. Nouell. 74. quib. mod. natural. efficit. sui. cap. 1. si quis. in fin. Wesenb. in d. §. adoptiui. Inst. de exhered. lib. Schurff. cons. 1. n. 14. cum sequent. cent. 1.*

23. Miles in expeditione occupatus si liberos suos, vel iam natos, vel postumos sciens prætereat, pro exheredatione nominatim facta, illud habetur: sin ignorans, testamentum nullum redditur.

*§. sed*



*§. sed si in expeditione. Inst. de exhered. lib. & l. si patronus. 12. in princ. ff. de bon. libert. l. sicut. 9. cum l. sequent. C. de test. mil.*

24. Cessante liberorum institutione, alij heredes institui debent, siue testamentum in scriptis factum, siue voce nuncupatum fuerit.

*l. 1. ff. de hered. Inst.*

25. Omnes enim vel per se, vel per alios habere heredes possumus, quos instituere nominatim prohibitum non est.

*l. neq. 40. C. de hered. inst. & qua persona heredes institui non possunt.*

26. Prohibentur institui seruus adulterio maculatus *a*, & is qui contra L. AELIAM SENTIAM in fraudem creditorum est manumissus *b*, item peregrinus *c*, deportatus *d*, vel qui apud hostes est *e*, & princeps iudicij mutandi causa *f*.

*a in princ. inst. h. t. b §. 4. Inst. quib. ex caus. man. non lic. c cum enim non nisi ciues Romani instituuntur. l. 1. C. h. t. consequens est peregrinum, qui ciuis Romanus non est, l. 17. ff. de pœn. institui non posse.*

*d d. l. 17. ff. de pœn. e quia qui apud hostes est, nec sibi, nec alijs acquirere posse videtur, & licet per captiuitatem non planè amittat ciuitatis iura, verum tamen est eum omninò ciuem non esse, cum potius pendeant in eo iura ciuitatis. §. item si quis. Inst. de rer. diuis. f l. 23. ff. de legat. 3.*

27. Dubium verò est an seruus hereditarius rectè instituat, cum is nec proprius testatoris, nec alienus sit seruus: siquidem res hereditariæ, si iuris subtilitatem spectemus, in nullius bonis sunt, licet vtilitatis gratia receptum sit, vt pro Domino habeatur hereditas.

*per l. 61. ff. de acquir. rer. dom. Rectè eum institui existimamus cum Duaren. cap. 2. ff. h. t.*

28. Possunt igitur à testatore institui heredes, tam liberi homines quàm serui, ijq; vel proprij, vel alieni, si modò eorum serui sint, quos ipsos heredes instituere possumus: siquidem testamenti factio cum seruis ex persona Dominorum recepta est.

A 4

Inst.



*Inst. de hered. inst. in princ. l. filius familias. 16. in princ. ff. de testam. & l. non minus. 31. in princ. ff. de hered. instituend.*

29. Nec tantum vnum heredem, sed & plures, quot velit aliquis, instituere licet, ideoq; municipales etiam, collegium vel ciuitas institui heredes possunt.

*§. & vnum. Inst. de hered. Inst. l. recusare. 6. §. item si municipales. & l. omnibus. 26. ff. ad SCtum Trebell.*

30. Sufficit quoq; personam quæ instituitur certam esse, licet testator eam de facie non nouerit, aut viderit vnquam, veluti si fratris filios, peregrè degentes, heredes quis scribat, quia etiam ignotum instituere licet.

*§. ult. & ibi Theophil. Inst. de hered. instit. l. extraneum. 11. C. eod. tit.*

31. Alias incertæ personæ institutio est nulla, propterea quod certum debeat esse consilium testatoris, nec magis quid desideretur, quam mentis in eo integritas.

*l. 2. ff. qui test. fac. poss.*

32. Si tamen testatoris verba saluari possint, ita vt ex ijs saltem coniectura de voluntate testatoris possit desumi, non nocebit error in demonstratione, vel alius similis.

*l. 9. ff. h. tit.*

33. Error autem in corpore nocet, & ideo institutionem, quæ facta legitur à Patriarcha Isaaco in filio suo Iacobo, pro Esau instituto, Genes. c. 25. & 27. iure ciuili deficere dicendum est.

*argum. l. 9. ff. h. t. Duaren. d. sepius. c. 3. ff. eodem.*

34. Si plures instituti fuerint partibus non adscriptis, æqualiter omnes succedunt, ac onus hereditarium ex æquo sustinent.

*§. si plures. Inst. de hered. inst. l. quotiens. 9. §. heredes. ff. eodem tit. l. legata. 19. §. ult. & l. si heredes. 124. in fin. ff. de legat. 1.*

35. Si verò pluribus institutis in quorundam tantum personis expressæ partes fuerint, reliqui succedent in partibus, quæ vacant, aut nullis vacantibus, qui partes expressas habent,

bent,



bent, ad dimidiam hereditatem, & scripti sine partibus ad alteram dimidiam peruenient.

*d. §. si plures. & ibi Mynsing. Inst. de hered. Inst. l. item. 17. in princ. & l. quo loco. 20. ff. eod. tit.*

36. Porro heres extraneus institui potest, vel purè, vel sub qualibet conditione, siue potestatiua, siue casuali, siue mixta.

*§. heres Inst. de hered. Inst. l. heres quandoq. 54. ff. de acquir. vel amitend. hered. l. quod dicitur. 38. in princ. ff. de milit. test. l. vn. §. sin autem aliquid. C. de caduc. tollend. l. ult. C. de necess. seru. hered. instit. Wesenbec. in paratit. n. 2. & 3. ff. de condit. inst.*

37. Institutus in re certa heredis loco etiam habetur.

*l. i. §. 4. ff. de hered. Inst. Arum. exerc. Inst. 8. thes. 2.*

38. Eiusmodi instituendi modus vero non subsistit, si Notarius interroget testatorem, An Titium heredem habere velit, isq; respondeat, volo.

*argum. l. iubemus. C. de testam. Vigli. in §. 12. Inst. de test. Dissentit Fachin. cum plurimis s. controuers. 69.*

39. Pendentibus institutioni adiectis conditionibus adiri vel repudiari hereditas non potest.

*Arum. exerc. 8. thes. 3. Duaren. ad tit. de condit. Inst. in Rubric.*

40. Quod si heres sub hac conditione institutus fuerit, ut iuraret se aliquid daturum vel facturum, institutio pro pura habetur, & adire hereditatem etiam absq; iuramento præstito heres potest, si modo det aut faciat, quæ iurare iussus fuerat.

*l. quæ sub conditione. 8. in princ. & §. 1. cum sequenti. ff. de condit. instit.*

41. Sic quoq; conditiones, quæ contra bonos mores testamento inferuntur, heredi remittendæ sunt, quia nec fieri & impleri eas posse credendum est.

*l. conditiones. 9. & l. filius. 15. ff. de cond. Instit.*

42. Ex certo tempore etiam vel ad certum tempus insti-



qui heres nequit, ac dies ita adiectus pro superuacuo habetur,  
vicioq; temporis sublato, pura institutio censetur.

*d. §. heres in fin. Inst. de hered. Inst. l. hereditas. 34. ff. eodem tit.*

43. Vnde constat Regulam Catonianam ad institutiones  
conditionales non rectè referri.

*l. 4. ff. de Reg. Caton. Arum. d. exerc. 8. thes. 7. Dissentit Cuiac. 4. obs. 4.  
aliter Hott. 2. obs. 3.*

44. In diem incertum collata institutio valet, veluti cum  
heres institutus capere poterit, vel cum adoleuerit, quia hu-  
iusmodi dies incertus conditionem in testamento facit.

*l. in tempus. 62. in princ. ff. de hered. Inst. & l. si mater. 33. in princ. ff.  
de vulgari & pupill. substit. l. dies incertus. 75. ff. de cond. & demonstr.  
Cuiac. in obseru. lib. 3. c. 34. Wesenb. in paratit. n. 6. ff. de hered. Inst.*

45. Impossibilis conditio à testatore adiecta, institutio-  
nem non viciat, sed pro non scripta habetur, idemq; in lega-  
tis, fidei commissis & libertatibus datis obtinet.

*§. impossibilis. Inst. de hered. inst. l. mulier. 20. in fine princ. ff. de condit.  
Inst. l. ab omnibus. 104. §. 1. in fin. ff. de legat. 1.*

46. Deniq; conditionibus pluribus à testatore institutio-  
ni adiectis videndum est, an coniunctim, vel disiunctim siue  
separatim scriptæ fuerint, quia priori casu omnes adimpleri  
debent, posteriori autem sufficit, quamlibet ex ijs fuisse im-  
pletam.

*§. penult. & ibi Wesenbec. Inst. de hered. Inst. l. si heredi. 5. ff. de con-  
dit. Instit.*

---

## QVAESTIONES.

### I.

*Ex definitione iuris à Celso in l. 1. ff. de iust. & iur. proposita, re-  
sultat haec questio, An aequitas iuris rigori sit preferenda? Prius af-  
firmamus per l. placuit. 8. C. de iudic. ubi Cyn. Bartol. & DD. com-  
muniter. Ias. Dec. & alij ad l. in omnibus. 90. ff. de R. I. Diss. DD. re-  
lati diuersimodè, distinguentes inter aequitatem scriptam & non  
scri-*



scriptam: quos sequuntur Mynsing. cent. 6. obs. 36. Robert. 3. sentent. 12.  
Erudite Obrecht. in diss. ad d. l. 8. C. de iud. & Trent. part. 1. diss. 1.  
thes. 2. lit. B.

2. Ad consuetudinem introducendam sufficere decennium, &  
actus duos, etiam extraiudiciales, DD. tradunt: eaq. sententia cum  
in foro praevaluerit, retinenda videtur. Mynsing. decad. 5. Respons. 13.  
& 43. Idem cent. 6. obseru. 41. Gail. lib. 2. obs. 31. n. 2. & seqq. Conn. 1.  
comment. c. 10. aliter Cuiac. in paratit. C. quae sit long. consuet. Dif-  
sent. Menoch. de arbit. iud. quast. cent. 1. cas. 81. n. 4. Vultei. in § ex  
non scripto. n. 9. Inst. de iur. nat. gent. & ciu. Bronch. cent. 1. assert. 8.

3. Defensionem cum moderatione inculpatæ tutelæ omni iure  
permissam esse, adeoq. iuris naturæ, gentium & ciuilis rectè dici, te-  
stes sunt locupletissimi & verissimi Vlpian. in l. 1. §. 11. ff. si quadrup.  
paup. fec. dic. Florent. l. 3. ff. de iust. & iur. Dioclet. & Maxim. in  
l. 1. C. unde vi. Quod ita Interpp. explicant, ut eatenus, quoad for-  
mam, defensio iuris ciuilis dicatur, quatenus ad moderamen certum  
tutelæ inculpatæ redacta est. Coras. de art. iur. part. 2. cap. 8. Connan.  
1. comment. 6. n. 8. Dec. in l. 3. ff. de iust. & iur. Aliter Bocer. de iur.  
pugna. lib. 2. cap. 19.

4. Inter iustas manumissionis causas in §. iustæ. Inst. quib. ex caus.  
man. non licet, à Iustiniano enumeratas, recensetur & illa, si seruus  
à minore viginti annis manumittatur procuratoris habendi gratia,  
dummodo non sit minor decem & septem annis. Hinc disceptatur,  
An hoc de procuratore ad litem, vel negotia sit accipiendum? De  
procuratore ad negotia communis DD. schola illud intelligit, & qui-  
dem rectè, ut videtur. Duaren. ad rit. ff. de procur. c. 4. VVesenb. in  
paratit. nu. 4. ff. eodem. Sichard. in l. exigendi. 12. C. de procurator.  
Mynsing. & Schneid. in d. §. iustæ. Inst. quib. ex caus. man. non lic.  
Philipp. Matth. in l. 2. n. 26. ff. de R. I. Dissent. Cuiac. in d. §. iustæ.  
Inst. d. tit. Item lib. 22. obs. cap. 26. & in tract. de diuers. temp. præ-  
script. c. 29. Donell. lib. 18. com. 3. Pac. cent. 2. antin. quast. 16. Bronc-  
horst. cent. 1. assert. 49.

Doct. mo





*Doct.<sup>mo</sup> & ornat.<sup>mo</sup> Iuueni,*  
**CHRISTOPHORO CRVSIO,**  
in Iure disputanti.

**A** MICE CRVSI, qui haecenus feliciter  
Pedem penetraſti intima in ſacraria  
Almae Themistoſ, alteramq; nunc vicem  
Adſcendis alta IVLIAE ſubſellia:  
Perge, uſq; perge, non breuis, quae poſſiet  
Reſtare, luctae deſinens, & Romuli  
Legum ſacrata ſenſa ſedulò erue;  
Sic vltimum tandem laboris praemium,  
Laudis perennem conſequere adorem.

*Ioannes Henricus Meibomius.*

F I N I S.





(X2618032)


V017











...od sancta firmet Trinitas.

DISPUTATIO 1611, 1  
De *M...*

# INSTITUTIONE EXHEREDATIONE RORVM, ET DE ALIIS heredibus instituendis,

Quam  
PRAESIDE  
Clariss. & consultiss. viro,  
ANNE BARTERO, I. V. D.  
Iustri IULIA Professore iuris  
ordinario,

Publico examini  
itorio maiori discutiendam proponis  
die 16. Martij.

ISTOPHORVS CRYSIVS.



HELMAESTADI,  
pographeio Iacobi LucI,  
Anno clo. lo. cxi.

*Clariss. anglic. et consultiss.  
viro. Dno Henrico Andro  
Craneo. Icto celeberrimo Sasse  
Sancti Vobis Prorsus*

41